Cim

4263

Theologia polemica.

Risinus Petrus. In axiomata Joannis Hessi Wratislaviae edita Petrus Risinius Cracoviae 1524.

IN AXIOMATA IOANNIS HESSI Wratiſlauiæ ædita/

Petrus Riſinius.

Quis furor tanti rabieſq; morbi,
Quæ lues oras agitat propinquas,
Quis ſoporato, quatit iſte, Chriſto,
Turbo carinam.
Niteris fruſtra Sathanæ propago
Turbidis uentis aeri procellas,
Fluctuat Petri ratis iſta, ſed non
Mergitur unq̄.

Conditionem horũ temporũ mi lector, quis satis deplorare possit? qs turbas & insolencias, qbus nũc plena sunt omnia, explicare queat? ita nescio quis malus Genius, quæ illa Cebetis Suadela, tot homies errore impleuerit, ut monstri simile sit, bonam Germaniæ partem eo amentiæ prolapsam, ut quorundam apostatarum sediciosa & insanissima dogmata, quibus illi inane uulgus, prætextu puritatis euangelicæ, & libertatis Christianæ, tanq̃ poculo aliquo Circeo dementãt, ac in ipsas feras transformant, potiora ducant diuinis ac humanis institutis, sanctissimis maiorum moribus, usuiq; receptissimo, ac tot clarissimorum doctorum scriptis & traditiõibus, quibus illi longo ordine ecclesiam dei, ductu spiritussancti, ut ueri huius carinæ Naucleri, ordinauerunt & stabiliuerunt. O mores o tempora, hosce ne euangelij, quod totum pacem, concordiam, obedientiam, mansuetudinem, pacientiam, & humilitatem spirat, & inculcat, conuenit esse uindices & assertores? qui toti non nisi ex cõtemptu, ex seditione, ex libidine, ex maledictis & furijs constant? uel an eo iam inclinet res Germanica, ut quẽadmodũ ex Saxo papa summũ imperiale decus acceperit, ex Saxo apostata summum dedecus hæreseos subeat? Dij a nobilissima prouincia talem auertite pestem, sed omissa declamatione ad rem uenio. Scribit beatns Cyprianus non aliunde oriri hæreses, nisi cum sacerdoti dei non obediatur, neq; unus in ecclesia sacerdos & iudex pro tẽpore uice Christi credatur, atq; ita est profecto. Nam cũ ab hoc uicario, & ab hac norma, & unitate discessum est semel, unus error ex alio, unum mõstrum ex altero nasci solet. Nõ sa-

tis erant illi Luteri, illi Hutteni, aliiq; huius farinæ cō/
plures ecclesiæ turbatores, nisi & Wratyslauiæ paro/
chus quidā Hessus, alter ut sibi uidetur Paulus Apo/
stolus, emergeret, qui ciuitatem illam uesania sua reple
ret: uisum est homini quod iam exuta omni obedien/
tia, omniq; fronte religionis, & professionis suæ depo/
sita, repente talis euasisset, ut de Euangelio, de ecclesia,
deq; ritibus Christianorum possit, ut uelit proūtiare,
omniaq; pro libidine sua statuere ac mutare. Hac psua/
sione & uulgi mobilissimi calculo sibi placēs, pmulga
uit ad disputandum nugas quasdam plusq̄ pueriles, q̄s
ut etiā græculus uideretur, Axiomata ineptissime uo/
cauit, presertim ad disputādum & ueritatem, ut præci
nit, inquirendam propositas, ex quibus ut cognoscas
mi lector, q̄lis sit hic nouus Wratislauieñ ecclesiastes,
uolui tibi paucis declarare, & his ipsis axiomatis sum/
matim quantum responsionis merentur, si modo quicq̄
merētur, respondere. Sic igitur magnifice ordit Hessus

DE VERBO DEI.

Vt uerbo dei omnia creata sunt, per ipsumq; portant
idest reguntur continentur, contēperantur, cōsistunt, &
fouētur, ita uerbo dei oīa obedire, adhærere, subiici, &
in se efficatiā operantē pati iure debent. Quia unice &
solum per uerbum dei conscientiæ hominum pauidæ
nutriūtur, pascuntur, consolantur, animantur, erigunt,
uiuificantur, unice etiā, & solum dei uerbum prædica/
ri ebuccinariq;, ac per illud omnis homo admoneri, &
doceri debet,

Quia uerbum dei mundum est, & examinatum, ac pur
gatum nimis, nullis hominū decretis, aut traditionibus

aut elementorum mundi seu statutis, debet impurari.
Quia lucerna pedum, lumenq; semitarum, & gressuũ est directio, ideo cum illius lucerna accensa sit, subter modium poni non debet, neq; a quoq̃ illius lumen obfuscari aut extingui, sed ut super cãdelabrum ponatur, luceatq; omnibus, qui in domo sunt cooperari & adiuuare omnes teneantur.
Quia cursor & nuntius est uoluntatis, & gratiæ dei ac salutis impiorum uelociter currẽs. Ideo illius cursus a nemine debet aut turbari aut impediri, sed totis uirib9 illi, adesse, illius cursum promouere, & ne uacuũ reuetatur ad dominũ, sed ut prosperetur in his ad quæ missum est studere & conari debent omnes.
Istud imprimis excellẽtes potestates & principes, qui dei ministri sunt subditis in bonũ, præstare tenentur. i. cursorẽ dñi sui uerbũ inq̃ dei in cursu adiuuare, nõ autẽ a cursu retrahere, seu moras illi nectere, si diuersum faciũt, deo & dño suo resistunt, infideles serui sunt, & damnationem sibi asciscunt.
Etiam cũ ad omnes nuntius ille mittatur, atq; ad oẽs communiter illius nuntiũ pertineat, Omnes de uerbo & nuntio salutis loqui, audire, disserere, commentari & absq; ullo cuiuspiam impedimento publice & priuatim tractare libere possunt.
Insuper cũ pabulũ sit, ac nutrimentũ cõmune, q̊ omnes indigẽt omniũ esurientiũ, & sicietiũ stomachi, idest cõscientiæ & corda, illo sunt replendi, ab oibus est mãducandũ, ruminandũ, conterendũ, atq; absq; cuiusuis prohibitione in corda & conscientias traijciendum, & ut innascatur ac coalescat ingerendũ. Hæc Hessus.

Quid tum postea? quid cum his stomachis, & cursitis, alijsq; tropis tuis ineptissimis tibi uis Hesse? Nam de uerbo dei quin regnet, quin uincat, quin purum & sin/cerum sit, ne Turcæ quidem, nedum Christiani negāt. Negamus autem nos uerbum dei uel intelligi posse absq; spiritu sancto, a quo tot mysteria manāt, uel debe re passim a quibuslibet expēdi, cū Christus parabolas suas seorsum discipulis exposuerit, & non omnibus no ta esse mysteria regni cœlestis uoluerit. Negamus item uerbum dei lenocinari debere insolentiæ ac libidini ali cuius, & libertate christiana, ut apostolus ait, occasionē dari carni, ut eius p̄textu liceret nulli subesse, non pre/cari, nō ieiunare, non confiteri, contēnere cēsuras, nō sol uere decimas & census ecclesiasticos, aliaq; uulgi sua/uissima delinimēta, quæ nusq̄ sūt in euāgelio. Sunt aūt manifestissime, obediendū p̄fectis legis diuinæ, etiā im ꝓbis, p̄candū, & ieiunandū, exhibendos leprosos sacer dotibus, claudi cœlū a sacerdotibus alijs, etiā si ipsi nō ingrediantur, soluenda quæ Cæsaris sunt Cæsari, quæ dei deo, decimasq; nō omitēdas. Quādo quidē quicqd de paupertate dictū est a christo, dictū est ad animum & spiritū, qualem habuit Rex Dauid cū se pauperem & egenū diceret, & dictū in cōmune Christianis oībus ac magis qdem alijs, quā apostolis, ut qbus posthac sub pedes bona omniū proiciebant, & illi ea arbitratu suo dispensabāt. Obicies hic, quæ uestra est cantilena, luxum & ab usum sacerdotū, quasi hoc pacto tuta esset cuiusq̄ possessio, etiam Cæsaris, si cū opibus abuteretur quispiam, auferri illi census suus deberet, aut quasi iam nemo sit q bonis suis bene utatur. Sed libet uersare te

paululū. An uerbum dei ita per se purū & sufficiens, ut hominū decretis nō deberet impurari, quasi decreta ecclesiæ illud impurarent, dic mihi, an impurare est interpretari? uel an addere est, in uerbo dei, tāq̄ in base & fundamēto ea construere, quæ pro re & tēpore ordo ecclesiæ requirit? an non inculcauit ipse Christus hæc omnia, quæ continet euangeliū, & plura apostolis, quæ tamen tunc capere nō potuerunt, & quæ illos minime confirmarunt, ut post passionem apparuit, nisi spiritus sanctus eos ipse cōfirmasset? suggessissetq; & docuisset eos omnia, quæ dixerit illis Iesus? unde constaret magistrū esse perpetuū ecclesiæ spiritū sanctum, per quem uerbum dei debite capi, elucidari, expendiq; deberet, Nam cum iubeat Christus, euellere oculū, manusq; & pedes scandalisātes amputare, quo breui tēpore & Argum exoculatum, & centimanū mancum esse oporteret, Cum p̄terea iuberet odio habēdum patrem, & matrem, fratresq;, & deniq; animā suam, contra præceptū de honorandis parentibus & diligendo proximo, nedū fratre. Cum itē iubeat ut nesciat sinistra, quæ faciat dextera in dāda elemosina, & orandū secreto in cubiculo, ornandūq; ieiunādo, & p̄cipiat ediuerso lucere debere lucem suorū corā hominbus, ut uideantur opera illorū bona. Cū deniq; iubeat præstari alterā maxillam percucienti, quod nec ipse apud Annam seruauit, aliaq; eiusmodi sexcenta, an hic nō interpretandū erit uerbū dei? non addendū erit aliquid? si erit necessario, cui id iuris facies? Lutero potius fanatico, aut stratiotico Hutteno, uel tibi coapostolo ipsorū, potius q̄ Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Gregorio, aliisq; ex tot milibus,

sanctissimis doctoribus? & si statutis humanis, ad uerbum dei, non est necessariũ, cur apostoli toties conueniebant, & dispiciebant de negotijs interuenientibus? statuebantq; id quod pro re, & tpe oportunũ uidebatur? ut de circumcisione, de usu suffocati, & alijs id genus? scilicet quod euangelium sit, ut inqt Cyprianus, solum fundamentũ fidei, in quo reliqua ex usu ecclesiæ per proceres eius superstrui, ampliari, & ipsum uerbũ dei dilucidari debeat, Q̃ndoquidem idipsum uerbũ & euangeliũ neq; cognosci, neq; suam fidẽ habere posset, nisi auctoritas ecclesiæ id totum præstaret. Sed qd ego hæc cum Myda? uenio ad alia.

DE SACERDOTIO CHRISTI HESSVS

Christus a deo patre per sermonẽ iurisiurãdi sacerdos scdm ordinẽ Melchisedech inæternũ cõstitutus, una ꝑ peccatis oblata uictima, domui dei præfectus, ꝑpetuo sedet ad dexteram dei, ac manet sacerdos inæternũ cõsumatus, unicus & solus, perpetuũq; habet sacerdotiũ.

Præterea saluos facere ad plenũ potest, q per ipsum adeunt deũ semp uiuens ad hoc ut iñpelllet ꝑ illis.

In diebus uero carnis suæ, quãdo tradidit, & obtulit seipsum pro nobis oblationem ac uictimã deo ĩ odorẽ bonæ fragãtiæ, idem sacerdos & uictima fuit, pontifex magnus & agnus immaculatus, tollens peccata mũdi. Atq; unica hac oblatione sui ipsius, & sola hac immolatione proprij corporis semel peracta, æternam redemptionem inuenit.

Quum etiam eadem unica oblationẽ, peccatũ profligauit, & perfectos effecit in perpetuũ eos qui sanctificantur, neq; est ulla alia hostia ꝑ peccatis uniuersi generis hominum.

Sicut aũt semel peccato mortuus est, & semel ꝓ peccatis passus fuit, iustus ꝓ iniustis, ut nos adduceret deo, ita semel duntaxat oblatus est, semel etiam omne sacrificium peractum est.

Neq; postea unq̃, aut oblatus, aut sacrificatus fuit, neq; offerri, aut sacrificari seu hostia fieri, sicut nec mori nec pati unq̃ inæternum, poterit.

Idcirco missa & illius peractio sacrificium esse non potest, alioqui oportuisset Christũ sæpius passum fuisse a condito mũdo. Itemq; occisum & mactatũ, sed illius duntaxat semel peracti sacrificij ac Testamenti per sacerdotem & hostiam facti, commemoratio.

Id quod Christi ipsius & Pauli uerba indicant, consonatq; Chrysostomus.

In ea aũt cõmemoratione, non ullis Cerimonijs, aut uestium apparatibus, aut alijs externis ritibus, sed fide uera opus est, In ea eñ sola, Testaméti & sacrificij participes efficimur. Hactenus Hessus.

QVæ DE SACERDOTIO Christi tam argute, ut tibi uidetur, disseris, eorsum omnia tendunt, ut doceas missam non esse sacrificium, totãq; hanc farraginẽ hoc bellissimo dilemmate cõcludis, alioquin Christum sæpius pati oporteret &c, ac interim ritũ ecclesiæ de uestibus & ceremonijs uellicas. Si non uerũ est, Hesse, recoli in missa passionem dñi, quod Christum semel uere passum, incõueniens foret mystice iterũ atq; iterum ac sæpius pati, minus conueniens, & minus uerum uideri deberet, ꝙ Christus semel uerbum caro factus, iamq; in cœlis sedens, iterũ atq; iterũ ac sæpius fiat uere uerbo caro ex pane, & sanguis ex mero, cum ipse testetur

carnem suam uere esse cibũ, & sanguinem suũ uere esse potũ, & panẽ quem daturus esset carnẽ suam esse, corpusq; quod pro nobis frangeretur, ne hoc solũ ad passionẽ referas, hocq; quod ipse fecit transmutans panem in carnem, & uinum in sanguinem, præcepit apostolis, & illi demũ reliquis faciẽdum, ut scilicet hæc donaria, hæ uictimæ forent, quas Apostolus ait, pontificem offerre debere pro peccatis, non hircos aut uitulos, ut tu uideris uelle, cũ hoc sacramentũ & monumentũ dñi uictimã esse negas. Possem q̃plurimis ratiõibus, & auctoritatibus tuã hanc uanissimã assertionẽ conuellere, nisi unica hæc Augustini sentẽtia sufficeret. Sic eñ de hoc ait sacramẽto. Iteratur quottidie hæc oblatio, licet Christus semel sit passus, qa quottidie peccamus peccatis, sine qbs mortalis infirmitas uiuere non põt, & ideo quia q̃ttidie labimur, Christus pro nobis mystice imolatur, & alibi, Corporis & sanguinis Christi sacrificiũ, successit omnibus illis sacrificiis ueteris testamẽti, quæ imolabantur in umbra futuri, & pro illis oĩbus Christi corpus offertur, & participantibus ministrat̃. Addo & Gregoriũ, nisi hos præ te fungos existimas, sic eñ inqt. Singulariter ad absolutionẽ nostrã oblata cum lachrymis & benignitate mẽtis sacri altaris hostia suffragat̃, q̃niam is q in se surgens a mortuis, iã non morit̃ adhuc per hãc hostiã in suo mysterio ꝑ nobis iterũ imolatur. Addo deniq; græcismi tui causa Chrysostomũ, q hæc i epistolã ad Thimoteum. Hæc sacra oblatio siue eã Petrus siue Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadẽ est quã Christus diuisit suis apostolis, quã & nunc sacerdos offert &c. Quod aũt subdis Hesse in ea cõme

moratione nō uestibus, aut ritibus & ceremonijs, sed fide opus esse, inferre uideris, ecclesiā sine fide id pagere, & solis uestibus & cæremonijs inniti, cū tamē de hoc sacramento assidue canat ipsa ecclesia, ad firmandū cor sincerū sola fides sufficit, & p̄stet fides supplemētū &c. Quare īmerito & impie sic illi detrahis. Nam de uestibus & cæremonijs, ubi uetitū est in Euāgelio, quin hæc fierent? Certe in lege ueteri, Deus ipse p̄scribebat, quæ de constructione tēpli, quæ de parandis uasis deq; uestitu & alijs cæremonijs sacrificiorū fieri uolebat. Quibus qdem Christus & Apostoli non inhærebant, ut accessorijs, alia quæ fundamentū erāt fidei curantes. Sed quū post hac Ecclesia, cui p̄est Christus, quāq; instruit spiritussanctus hæc ad instar ueteris legis, quā Chr̄us nō soluere, sed adimplere uenerat, pio animo, & decētissima ratione statuit, tu contēnere & incessere audes? Sed perfricta semel frons, & ebria errore mens, audet omnia. Nunc pergo ad reliqua.

DE MATRIMONIO HESSVS.

Matrimoniū quod a domino Deo, in opere creationis omniū rerū est institutū, In quo patres, Patriarchæ, & pphetæ uiuentes, Deo cōplacuerunt, Quod Christus, Euāgelico nuntio cōprobauit, præsentiaq; sua illustrauit, Apostoli & Martyres amplexi sunt, atq; tota scriptura diuina collaudat, admittit, licitū, liberū & publicū facit. Licitū adhuc etiā liberum ac publicum esse, & ab eo nullum hominum genus arceri, Magis aūt omnes admitti debuerunt & debent.

Qui contrariū faciunt, & phibent, Deum patrē, a quo omnis parentela nominat in cœlo & terra contēnunt.

uerbo suo nō obediūt, ideoq; filij eius esse nō poterūt, Neq; unq̄ hæreditatis cœlestis futuri sunt consortes

Qui contrariū docet. Doctrinā docent, quā didicerunt attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorū per simulationem falsa loquentium, & cauterio notatam habentium conscientiam.

Ad matrimoniū omnibus amplectendū, omnibusq; permittēdum quamuis innumera cohortentur inuitamēta, tamen & illud nō postremum est. Quod mysterij illius magni, quod est in Christo & ecclesia, significationem, repræsentationem & iugem admonitionem cōtinet & proponit. Hæc Hessus.

De matrimonio non multis tecum agam. Si quidem & de superioribus plura egi præter institutum, uideo hic quam uiam affectas, & quid te titillat, proindeq; tanti matrimonium facis, ut ab illo neminem prohiberi debere, tandem post multos logos, concludas. Atqui hoc ipsum tibi concedo non grauatim, licet igitur sacerdotibus & monachis uxores ducere? id equidem tātisper nego, donec quod uota ex professione uolnutaria facta infringere liceat, probaueris, Contra illud Vouete & reddite, Assero aūt cœlibatū sacerdotum non modo nō esse contra deum, ut tu inferre conaris, sed etiā maxime esse ex illius animo, cū eunuchos, q se causa regni cœlestis castrant plurimū cōmendet, & cū Ethnici etiā arcerent ab aris cui daret hesterna gaudia nocte Venus, a qbus in matrimonio difficile foret cōtineri, At obijcies iterum sacerdotum incontinentiam, ut hoc tibi donem, cū semper plurimi sint in omni ordine mali, pauci autē quos æquus amauit Iuppiter, an ideo ecclesia non

recte statuit cœlibatum sacerdotum, an ideo perperam medici præcepta de sanitate conseruanda produnt, q̃ pauci illa obseruant, & plurimi transgrediuntur? O hominē suauē Hessum. Rectius multo fecisses mi Hesse, ut ad concedendum matrimonium, tanquam ad maius malum euitandum adduxisses, productum ex uacca Monachum, periculumq; esse, nisi uxores concederentur, ne & parochos iuuencæ producerent, sed omnino iam plus satis tecum garrio, & cum insano insanio.

Tu mi lector accipe pro Epilogo cantilenam tempori huic & rei congruentem, nugasq; hasce boni consule.

PROSA PASCHALIS

Victimæ Bacchali laudes immolant Lutherani:
Agnus redemit oues Christus, Sed lupus Luther in Orcum reduxit peccatores.
Mors & uita duello nunc contēdunt mirādo, Dux gregis admorsus regnat uiuus.
Dic nobis Maria, quid est in Saxonia, Sepulchrum Orci patentis, & gloria Monachi furentis?
Angelicos testes sudare propter pestes, Resurget Christus spes mea, & Luther trudetur ad Lethæa?
Credendū́m ne magis soli Monacho fallaci, q̃ toti ecclesiæ ueraci.
Scimus plebem per Lutherum insanire uere, Tu Christe stultorum miserere.

Impressum Cracouiæ. XI. Aprilis. An. M.D. XXIIII.